

Quamvis vero haecenus adducta possibilitatem & probabilitatem hujus dogmatis insinuent, nondum tamen fidem divinam, quod revera resurrectio mortuorum futura sit, generare poterunt. A possibilitate ad actum nulla est sequela ratio. Nec probabilitas absolute omnem oppositi formidinem excludit, fidesque divina praeter ipsum Deum testificantem alium non admittit Autorem. Quia igitur resurrectio mortuorum à libera Dei voluntate pendet, ex sola Scriptura S. vero quid Deus hac in re facere decreverit & testificatus fuerit, certo constat, ultro sequitur solida futurae resurrectionis mortuorum fundamenta ex arcanis Scripturae divinitus revelatae & depromenda & jacienda esse.

Certo igitur mortuorum resurrectionem esse futuram, quod erat (III.) probandum, adferitur (α) ex V. T. (β) ex N. T. Ex V. T. ante omnia urgemus immotam fidem indubitataeque spem Jobi, qua ille suam è mortuis resurrectionem amplexus publiceque professus est, quando, cap. 19. à vers. 25. interprete A. B. Montano in hunc modum loquitur: *Et ego NOVI Redemptorem (Goël) meum vivum, & novissimo super pulverem staturum, Et postquam pellem meam contriverint hanc, & de carne mea videbo Deum. Quem ego visurus sum mihi, & oculi mei (videbunt) viderunt, & non alienus. Quid haec Propetia, ait Hieronymus epist. 61. manifestius? nullus tam aperte post Christum quam iste ante Christum de resurrectione loquitur. Interim dicit Grotius ad hunc locum, Judaeos haec verba nunquam ad resurrectionem retulisse, cum tamen omnia videntur, quae aliquam in speciem eò trahi possint. Sed huic opponit Magn. Du. D. Calovius in Bibl. ill. p. m. 902. è Judaeis 70. interpretes, Chaldaicam Paraphrasin, alios, qui hanc confessionem Jobi de Christo videantur accipere, vel plane de resurrectione interpretari. Addit, plerosque Judaeorum & de carnis resurrectione dubitare, vel certe de statu piorum ex gentibus in resurrectione. Adducit Menasse Ben Israel, qui clare fatetur, antiquos Judaeorum dixisse, **JOBUM** negasse resurrectionem mortuorum. Egregium vero locum Hebraei Scholiastæ adducit Mariana apud Polum p. m. 191. qui ita reddit: *Super Pulverem surget, ad dandum essentiam & exitum omni invento quem invenerit super pulverem. Quae si ita se habent, quid mirum cœcutire haec plurimos Judaeorum, & Grotii assertio universalis cadet.*  
Quid*